

TIT. IV.

De Clericis non residentibus in Ecclesia, vel Prabenda.

21 **R**esidentia est mansio, seu commoratio assidua moraliter in Ecclesia, seu loco beneficii causa servitij Ecclesiastici personaliter praestandi. Cum enim in beneficii collatione personae industria eligatur, c. 12. de Offic. delegat. in 6. Non satisfaciunt Parochus si per Vicarios, vel Capellanos opera sui Ministerij exerceat, sed debet per se ipsum curam gerere animarum, saltem aliquoties, praesertim sic postulantis Parochianis, c. 4. & 6. h. t. c. 30. §. Quis vero, de Prab. Trid. sess. 23. de Reform. cap. 1. Residere ergo tenentur omnes beneficium aliquod habentes, scilicet Patriarcha, Episcopi, Abbates, Praepositi, Parochi, & alij curam animarum habentes, c. 2. c. 3. h. t. Trid. sess. 6. de Reform. cap. 1. & sess. 23. de Ref. cap. 1. Nam Pastores debent paecere, & regere suum gregem, non mercenario committere, nam ut Trid. sess. 6. de Ref. cap. 1. de his ait: *Implere autem illud (id est suum officium) se nequaquam posse sciunt, si greges sibi commissos mercenariorum more deserant, atque ovium suarum, quarum sanguis, de eorum est manibus a Supremo Iudice requirendus, custodia minime incumbant, cum certissimum sit, non admitti Pastoris excusationem, si lupus oves comedit, & pastor nescit.*

22 Item residere etiam tenentur omnes, qui in aliqua Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata habent dignitatem, personatum, administrationem, officium, prabendam, vel portionem, c. 16. h. t. Trid. sess. 24. de Ref. c. 12. Imo & beneficium simplex obtinentes residere debent, c. 3. c. 6. h. t. c. 13. de Prabend. Quia beneficium datur propter officium. Sed obligatio praedictorum ad residentiam solum a Jure Ecclesiastico provenit, ac proinde, tum dispensatione Pontificia, tum contraria consuetudine tolli potest. Et sane hic rigor non ubique servatur: quia in pluribus Ecclesijs sufficit, ad lucrandam prabendam grossiam, si aliqua parte anni Canonici resident, praecipue in nostra Hispania, ut notat *Garc. de Benef. p. 3. cap. 2. n. 330.* Imo & in celeberrima Toletana Ecclesia

Canonicus assidens die S. Michaelis, si non salior, lucratur totius anni redditus grossios. Habentes ergo hujusmodi Prabendam, Canonicatus, & Dignitates non obligantur simpliciter ad residentiam, sed tantum sub conditione fructus percipiendi: quod si non resident, sustinent poenam, sed non peccant: decentius tamen erit, & ad decorem Ecclesiae, & ipsorum Canonicorum officium valde conducens, si frequenter choro adsint, in quo tamquam spirituales Milites merent stipendia, alias, licet, vident culpam, non merentur laudem. Canonici Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiarum, non solum debent residere in loco suarum Prabendarum, sed insuper debent choro interesse, c. 32. de Prabend. c. un. h. t. in 6. Et per se ipsos canere, saltem spectato juris rigore, c. 2. D. 91. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12. ibi: *Atque in choro ad psallendum instituta, hymnis, & canticis Dei nomina reverenter, disincte, devotique laudare.* Et ibid. *Barbos. n. fin.* ubi plures citans, ait, per hunc textum teneri Canonicos sub onere, & obligatione restitutionis distributionum psallere, seu canere in choro, & non satisfacere, si solum assistant, & per Capellanos, seu alios Beneficiarios psallant, ipsi vero, vel ibi, vel domi privatim recitent horas, & tenent *Suar. de Relig. tom. 2. lib. 4. de Horis Can. cap. 12. n. 10. Gonz. in c. 7. h. t. n. 5. & alij.* Sed prevaluit consuetudo, quod Canonici distributiones, etiam quotidianas capiant: quamvis ipsi non psallant, sed hoc faciunt Cantores, sufficiens, si ipsi submissa voce horas recitent. Imo majori decentia, concentu, & devotione haec obligatio cantandi Divinum Officium hodie adimpletur per Cantores dexterrimos, qui in Ecclesijs praecipue in nostra Hispania ad hoc munus deputantur. Et continentur *Suar. ubi sup. n. 13. Barb. in Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12. n. fin. Gonz. in c. 7. h. t. n. 5. Imo Garc. de Benef. p. 3. cap. 2. n. 514.* ait: ad lucrandos fructus, & distributiones sufficere solam assistentiam Canonicorum in choro, etiam non cantent, nec sint attenti, sed cum alijs loquantur, quamquam in hoc male faciant, & si excessus fuerit notabilis, peccant mortaliter. Et licet Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12. videatur excludere consuetudinem, etiam immemorabilem, qua Canonici ultra tres menses possint abesse: tamen in Ecclesia Toletana, & alijs Ecclesijs Hispaniae consuetudine immemorabili, se a residentia defendere praetendunt. *Garcia de Benef. p. 3. cap. 2.*

cap. 2. n. 196. Beneficium simplex habentes regulariter, consuetudine sic jus interpretant, residere non tenentur, sed per alium oneri Milliarum satisfacere possunt, ut declaratum asserit *Garc. de Benef. p. 3. cap. 2. n. 3. & 8.* Et etiam in fundatione dicitur, quod Capellanus tot Millas celebret, Beneficiatus per substitutum satisfaciit: nec potest ab Episcopo compelli, per se ipsum celebrare: imo nec necessarium est, ut Capellanus Sacerdos sit. Clerici habentes praesentia, id est, quasi stipendia, quae dantur: v. g. ad prosequenda studia, cum nullum servitium annexum habeant, non tenentur residere in Ecclesia, unde ea percipiunt, nec ipsi per se, vel per Vicarium deservire, sed ad Horas Canonicas, vel Officium Parvum B. Virg. privatim recitandum tantum tenentur. *Garc. de Benef. p. 3. cap. 2. n. 2. & alij.* 23 Episcopi, etiam Cardinales sunt, Parochi, & ceteri, quocumque nomine nuncupentur, curam animarum habentes Jure Divino, & Naturali ad residentiam tenentur, ut contra Ambrosium Catherinam tenet communis DD. juxta *Garc. de Benef. p. 3. cap. 2. n. 16. Barb. de Offic. Episc. alleg. 53. in 2. Et in Trid. sess. 23. cap. 1.* Quod probatur ex illo Christi D. *Pasce oves meas.* Quod quidem Pastoris officium Episcopus, & Parochos habere clare deducitur ex Trid. sess. 6. de Ref. cap. 1. Et luculentius habetur sess. 23. de Ref. cap. 1. ibi: *Cum precepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique Divini praedicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere: declarat Sacrosancta Synodus: obligari ad personalem in sua Ecclesia, vel Dioecesi residentiam, ubi injuncto sibi officio deservire tenentur.* Et ratio est: Nam quilibet absolute, Jure Naturali tenetur rite adimplere officium ab ipso susceptum: quod non possunt facere, qui curam animarum habent, nisi resident. Potest nihilominus Papa in residentia dispensare, sicut in voto, & juramento, licet eorum obligatio Jure Divini, ac Naturalis sit, quia ut Christi Vicario est concessa potestas declarandi in hoc casu, vel persona particulari, vel circumstantia, non obligare illud praescriptum: siquidem illa obligatio aliquomodo conditionata est, scilicet, nisi aliqua justa causa excuset, ut deducitur ex doctrina *D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 5. in corp.* Sic Papa potest dispensare in residentia, quando aliquis duos obtinet Epis-

copatus, vel Parochias, vel quando Monasterio annexitur beneficium curatum, & licet Monasterij Praelatus sit Parochus principalis, per Vicarium temporalem, vel perpetuum administrat: sic beneficium Parochiale Oppidi de Navalcarnero annexum est Collegio Maximo Complutensis nostrae Societatis, quin Rector Complutensis Collegij in tali Parochia resident, non tamen potest per consuetudinem etiam immemorabilem induci, quod Parochus non residat personaliter: nam a Trid. tollitur, ut irrationalis, & habetur, ut corruptela. *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 1.* Licet alij aliter sentiant. Si quis confert beneficium curatum, vel dignitatem ei, qui non potest in eo personaliter residere: & qui beneficium receperit illud amittit, & qui dedit, privatur pro eo vice potestate conferendi illud beneficium, vel dignitatem, c. 3. h. t. Non tamen ipso facto, sed per sententiam: licet quando eligitur persona inhabilis ex defectu aetatis, scientiae, naturalium, &c. ipso jure privetur sic eligens eligendi potestate, c. 7. Si fin. de Electioni. 24 Episcopus residere tenetur in sua Dioecesi, & praecipue in Civitate, in qua est Cathedra Episcopalis, c. 21. 7. q. 1. Trid. sess. 23. de Ref. cap. 1. Nisi causa visum sit, vel alia justa causa, vel consuetudine a tali residentia in Civitate excusetur. Sic Archiepiscopi Toletani regulariter resident Matriti. Parochus debet residere in domo Parochiali, vel prope Ecclesiam, etiam si major pars Populi, ut in his partibus Indiae contingit, longè ab Ecclesia degat. *Barbos. ad Trid. sess. 23. de Ref. cap. 1. n. 45.* vel saltem intra limites Parochiae ex Congreg. Cardin. Etiam si tres, vel quatuor tantum incolae remanerint in Parochia, nisi Parochialis Ecclesia in totum Parochianos habere desierit. *Barbos. in Trid. sess. 23. de Ref. cap. 1. n. 27.* Si quis duo beneficia ad residentiam obligantia incorporata habeat in majori Ecclesia, Hispanè: *Cabecera*, residere tenetur. Ecclesiae vero unitae, Hispanè: *Vista*, per Vicarium deserviet, c. 30. §. *Qui vero, de Prab.* si duo beneficia non unita ex dispensatione obtineat, & utrumque sit curatum, vel utrumque simplex, residere debet in loco digniori, quod si non confert, quisnam sit dignior, in frequentiori debet residere, & ceteris paribus, potius in Civitate, quam extra eam. *Garcia de Benef. p. 3. cap. 2. n. 179.* Si aliud simplex sit, aliud curatum, in hoc ob necessitatem animarum residere tenetur. *Ex cons. Cupientes S. Pij V. an. 1568. Barb. de Offic. Episc.*

Episc. alleg. 53. n. 83. Ubi dicit, quod obtinens canonicatum, & Parochialem, quocumque in loco sit, tenetur in Parochiali residere, nec erit ob hoc privandus canonicatu, sed solum ejus quotidianas distributiones perdat. Et hac ratione non excusatur a residentia Parochiali Inquisitor, nec Subcollector Apostolicus, si Parochi sint, nec potest Parochus ab hac residentia excusari, quamvis in servitio Episcopi, aut Ecclesie Cathedralis sit. Nec Parochus potest esse Vicarius Episcopi, Visitator, Fiscalis, vel Secretarius, nisi sit Parochus Ecclesie Cathedralis, vel in Civitate degat. Sic *Barb. alios citans. In Trid. sess. 23. de Ref. cap. 1. ex n. 34.* Imò nec R. Pontifex potest Parochos, vel Episcopos, etiam Cardinales, in suo servitio pro suo arbitrio, & sine necessitate occupare, & liberare a residentia in suis Parochiis, vel Diocesis. *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 1.* Ob majorem tamen utilitatem publicam potest eos a residentia liberare, & occupare in Ecclesie servitio, ut videmus in pluribus Cardinalibus Episcopis Romæ residentibus. *Barbos. alleg. 12. ex n. 10.*

25. Episcopi, etiam si Cardinales sint (idem est dicendum de Abbatibus exemptis) ad duos, vel tres menses continuè, vel interruptè nulla petita licentia possunt a suis Ecclesijs abesse quotannis ex justa causa, etiam recreationis gratia, modo abique gravi periculo animarum sibi committarum id fiat; sed hortatur Sancta Trid. Synodus, (non verò præcipit) ut curent, esse præsentis in solemnioribus festis, scilicet, Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Paschatis, seu Resurrectionis, Pentecostes, & Corporis Christi. Si verò ultra tres menses, justa exigente causa, abesse velint, licentiam a S. Pontifice, vel Metropolitanano, vel eo absente a suffraganeo antiquiori petere debent. *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 1. Et ibid. Barb. Si Episcopus ex Pontificis dispensatione in alia Ecclesia extra suam Diocesim, Dignitatem, vel Canonicatum obtineat, percipere potest fructus, minimè verò percipiet distributiones quotidianas, etiam si solum in sua Cathedrali resideat. Barb. in Trid. sess. 23. de Ref. cap. 1. n. 20.* Qui allegat Congreg. Declar. Alias dispensatio ellet inanis, & otiosa, contra c. 30. de Privileg. Et sic quoad Inquisitores servatur in Nostra Hispania, qui residentes in loco sui Tribunalis pro præsentibus habentur, etiam quoad distributiones quotidianas, in Ecclesijs, in quibus præ-

bendam obtinent. Sic *P. Joan. de Alloza, Flor. Sum. V. Inquisitor. sess. 1. n. 12. & alij DD.* Parochi, & alij curam animarum habentes ad modicum tempus sine alicujus licentia a sua Parochia possunt abesse, & singulis annis de licentia Episcopi possunt abesse per duos menses, ut constat ex *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 1. ibi: Ita tamen ut quando cumque eos abesse contigerit, id fiat, causa prius per Episcopum cognita, & probata.* Sic contra *Navar. Man. cap. 25. n. 121. Azor. p. 2. lib. 7. cap. 4. q. 10. & alios tenent, & decusum testantur. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 53. n. 96. Garc. de Benef. p. 3. cap. 2. ex n. 19.* Si ultra duos menses abesse velint, licentia concedenda est in scriptis, causa gravi præcedente: at verò ad duorum mensium absentiam conceditur licentia ore tenus, & sufficit causa justa, licet gravis non sit, v. g. recreationis, vel visitandi propinquos. Canonici, & alij, qui in Cathedralibus, vel Collegiatis Dignitates, præbendas, vel pensiones obtinent, possunt per tres menses abesse, etiam sine licentia Superioris, nec causa allegata, possuntque uti hac juris concessione ad recreationem licitam. Per longius spatium abesse sine Superioris licentia non possunt. Et licet statutum requirens majus spatium, quam novem mensium residentie servandum sit, non tamen valet statutum, vel consuetudo concedens majus spatium quam trium mensium, ut Canonici possint ab Ecclesia abesse. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12.* Etiam si tale statutum sit juratum; dum non sit confirmatum a Sum. Pontifice. *Barbos. in Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12. n. 56. Garc. de Benef. p. 3. cap. 2. n. 197.*

26. Episcopi, qui ultra tres menses ab Ecclesia sua absunt, justa causa cessante, præter culpam lathalem, prorata temporis fructus non faciunt suos, sed in conscientia, etiam ante declarationem, debent eos restituere Ecclesie, vel pauperibus loci. *Garc. p. 3. cap. 2. à n. 26. Barb. in Trid. sess. 23. cap. 1. n. 18.* Vel si ipsi negligant, hoc facere debet Superior Ecclesiasticus, quin admittatur aliqua compositio, quæ pro fructibus male perceptis solvit fieri. *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 1.* Ubi auget poenam, *sess. 6. de Ref. cap. 1.* Si ultra annum absit suffraganeus, tunc eum Metropolitanus, vel si Metropolitanus absit, suffraganeus antiquior sub poena interdicti ingressus Ecclesie ipso facto incurrendi, intra tres menses per litteras, seu Nuntium denunciare tenetur R. Pon-

tifici. *Trid. sess. 6. de Ref. cap. 1.* Et bona Episcoporum, qui in absentia illegitima decedunt pertinent ad Cameram Apostolicam, ut Spolia ex *Const. In Suprema S. Pij IV. An. 1564.* Parochi, & alij Curati, si ultra duos menses illegitime a sua Parochia absint, ultra gravem culpam prorata temporis non faciunt fructus suos. *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 1.* Quin applicandi sunt, vel Ecclesie Parochiali, vel pauperibus illius loci. *Garc. de Benef. p. 3. cap. 2. n. 31.* Et quidem ante omnem sententiam. *Covar. Garc. Barb. in Trid. sess. 23. de Ref. cap. 1. n. 18.* Si verò adhuc sint contumaces in non residendo, potest suo arbitrio Episcopus per censuras: imò per beneficii privationem, eos compellere. Nec requiritur processus, vel ordo judicarius, sicut in facto notorio non requiritur. c. 21. de *jur. jur.* Canonici, & alij præbendam in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata habentes, si ultra tres menses illegitime absint. 1. quidem anno privantur dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ, ac residentie fecerant suos, si talis iterum absit, privatur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuit. Si adhuc contumax post duos annos sit, contra eum proceditur ad privationem beneficii. c. 8. e. 10. e. 11. & *fin. b. t. Barb. in c. 10. b. t. Abbates, & Prælati Regulares juxta Regulam proprii Ordinis puniuntur, nec ad ipsos extenduntur poenæ statutæ a Trid. in locis citatis.* Beneficiarius absens citandus est personali-ter, ut veniat, ad residendum, si sciat ubi sit, & sufficit unica citatio: imò monitio, si ad ejus notitiam pervenit. Si commodè personaliter non potest citari, citatur per tria edicta in valvis suæ Ecclesie affixa, vel una pro tribus, dum trium tempus contineat: Et eodem modo ad ejus notitiam pervenire valet. Ex c. 11. b. t. *Garc. de Benef. p. 3. cap. 2. ex n. 154.*

27. Quatuor causas a residentia beneficiorum excusantes numerat. *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 1.* Scilicet, 1. *Charitatem Christianam.* 2. *Urgentem necessitatem.* 3. *Debitam obedientiam.* 4. *Et evidentem utilitatem Ecclesie, vel Reipublicæ:* adeo, ut perjurium non incurrat, qui juravit continuo in Ecclesia sua residere, si ex aliqua ex his causis absit. c. 13. b. t. 1. quidem excusat Charitas Christiana, si ex absentia non sequatur damnum notabile propriarum ovium, quibus Cura ex justitia debetur, & insuper Superioris licentia requiritur, ita, ut si absit Episcopus, licentia Papæ, vel Metropolitanæ, si

Parochus, licentia Episcopi accedat: his circumstantijs concurrentibus possunt habentes curam animarum abesse a proprio beneficio, ad aliquam Provinciam ad fidem convertendam, vel ab hæresi liberandam, vel ad pacem inter Principes componendam, vel ad succurrendum spirituali necessitati proximorum. *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 53. n. 6. 2.* Urgens necessitas excusat, v. g. hostilis incursio. *Arg. c. 42. 7. q. 1.* Corporis infirmitas. c. 15. b. t. L. 18. tit. 16. p. 1. In temperies aeris, pestis, seu contagio ob quam beneficiarius nequeat in loco beneficii residere. Inimicitia capitales, quas cum Domino, vel Practico loci habet Parochus: insidia a plebe infecta, vel alijs structa, aliaque hujusmodi causa, de quibus *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 53. n. 7.* Peregrinatio, etiam ex voto, & licentia Prælati suscepta, non excusat a residentia ad fructus lucrandos ultra tempus a Concilio permittum, ut declaratum testatur. *Garc. de Benef. p. 3. cap. 2. n. 394.* Curati verò, si per alios non possint bene providere peste infectis, cum vitæ propriae periculo apud suum gregem manere debent. *Joan. 10. v. 11. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.*

28. Tertio: obedientia excusat, ut si beneficiarius simplex occupatus est in Sedis Apostolicæ servitio. c. 14. c. 15. b. t. L. *fin. tit. 16. p. 1.* Ille verò, qui propria voluntate, vel ob suam utilitatem in Curia Romana versantur, ut Notarii, non reputantur pro præsentibus in suis beneficijs, ad lucrandos fructus. *Arg. L. 36. ff. Ex quibus caus. major.* Aliqui teneantur, Legatos Papæ, postè in suo servitio aliquos Canonicos Cathedralium, vel Collegiarum suæ Provincie occupare: sed cum hoc nullo jure firmetur, non debet concedi. *Abb. in c. 145. n. 6.* Episcopi (& idem est saltem de Prælatibus exemptis, quasi Episcopalem jurisdictionem habentibus. *Garc. de Benef. p. 3. cap. 2. n. 381.*) possunt in suo servitio occupare duos Canonicos Cathedralis, & hi etiam non residendo, percipiunt fructus præbendæ. c. 7. b. t. non verò distributiones. c. 7. b. t. L. *fin. tit. 16. p. 1.* Et Canonici Episcopum associantes debent esse de Cathedrali, non verò de Collegiata. *Text. in c. 7. c. 15. b. t. juxta quos intelligendum venit. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12. juxta Gonz. in c. 7. b. t. n. 6.* Et quidem, etiam si in Ecclesia sit statutum juratum, & confirmatum a Papa, quod Canonici non percipiant fructus, si non resident. Canonici Collegiarum, imò, & alij

alij beneficiarij simplices possunt ad Episcopatum alium, si hoc exigit Diocesis necessitas ob illorum indutiam ad aliquid minus, & tunc, etiam non residendo, percipient fructus. *Garc. de Benefic. p. 3. cap. 2. n. 370.* Clerici, qui Principibus secularibus inferiunt, & in sua Curia occupantur in officiis Præsidum, Pro Regum, Gubernatorum, Consiliariorum, vel Confessoriorum, non exculantur a residentia, ut contra *Selva de Benef. p. 4. q. 6. Covall. Com. 99. 585. n. 7.* tenent *Barbos. de Offic. Episcop. alleg. 53. n. 17. Garc. p. 3. cap. 2. n. 389. ex Trid. sess. 6. de Ref. cap. 2. Et Nov. 123. c. 9.* quæ concedit Episcopis, ut per annum possint manere in Curia, cum sit Lex Civilis disponens de re Ecclesiastica nullius momenti est. *c. 10. de Constit.* Si vero Regnum non possit sine alicuius Clerici presentia, etiam Episcopi commode administrari, tunc ob publicam Regni utilitatem, dispensat Pontifex. Et sic multoties in nostra Hispania contingit, quando Episcopi in Præsidēs Supremi Senatus Castellæ, vel in Inquisitores Generales assumuntur.

29. Quarto: possunt etiam absentes fructus beneficii percipere, qui ob publicam Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitatem absint: v. g. causa defendendi iura suæ Ecclesiæ, vel Canonicius. *c. 13. h. t. l. fin. tit. 16. p. 1.* vel qui sunt ad Synodum vocati, vel si ob officium suæ dignitati annexum Comitibus intersint, vel ut Legati à Provincia mittantur. *c. 19. de Appellat. Gloss. V. In legation.* Etiam beneficiarij religionem ingressi tempore Novitatus percipiunt fructus, saltem grossos sui beneficii, modo per alium beneficio deserviant sed probabiliter non percipiunt distributiones quotidianas; *arg. c. 7. h. t.* Qui studiorum causa absint, interim percipiunt fructus sui beneficii. *c. 4. c. 12. h. t. C. fin. de Magistr. Trid. sess. 5. de Reform. cap. 1. in fin. l. fin. tit. 16. p. 1.* Et quidem discentes per quinque annos possunt absesse, sed docentes, quando voluerint, si prædicti dicant, vel docent Theologiam, vel Jus Canonicum, & quidem cum effectu, non oleum, & operam perdendo in alijs impertinentibus rebus, in aliqua Universitate, vel publica Schola; secus in loco privato. *c. 12. h. t.* Hi etenim possunt absesse à suis beneficijs, etiam sine Episcopi licentia, cum hæc concedatur à jure. *Gloss. in C. fin. de Magistr. V. Licentia.* Si Philosophia, vel litteris humanioribus operam dent, requiritur Episcopi licentia. Jure antiquo etiam Parochis hoc erat pri-

villegium concessum habita tamen Episcoporum licentia. *c. 34. de Election. in 6. sed revocatum per Tridentinum; sess. 23. de Reform. cap. 1. tenet Garc. de Benef. p. 3. cap. 2. n. 80.* Possit tamen Episcopum licentiam studendi Parochis concedere tenent *Zerol. Prax. Episc. p. 1. V. Studium; S. Ad septimum; & alij.* Et satis probatur ex *Trid. sess. 5. de Reform. cap. 1. in un. sess. 6. de Reform. cap. 2.* & ut notat *Mendi. de Jur. Acad. lib. 2. n. 271.* Trid. non revocavit privilegia studijs concessa, asseritque n. 270. quandam de hoc declarationem Cardinalium.

30. In nostra Hispania habemus quoddam specialissimum privilegium Eugenij IV. concessum 6. Kal. Martij 1431. Quæ constitutio incipit: *Qui creditum;* & ab eius Authore Eugeniana indigitatur, in qua conceditur quod Clerici, etiam Canonici, Dignitates, & Decani Cathedralium, qui in nostra Salmantina Academia publice docent, vel student, vel aliter litterarum in studio insistant, ut candidati Cathedralium, non teneantur ad residentiam in suis Ecclesijs ad percipiendos fructus præbendarum, non vero distributiones quotidianas, & stipendia, quæ inter præsentēs solent dividi. Gaudentque hoc privilegio, etiam si primam beneficii residentiam non fecerint: debent tamen insisterē studijs per octo menses, vel continuo, vel interpositum, ac proinde, non sufficit, si per sex menses, & unum diem cursum litterarum peragant, possuntque dare operam cultumque licite facultati. Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, & alij, quasi Pontificali Dignitate, & jurisdictione gaudentes, necnon Canonici Ecclesiarum Cathedralium; qui per oppositionem obtinent præbendas, quas Hispanè dicimus de officio, non possunt à suis Ecclesijs absesse, nec gaudent Eugeniana Constitutione. Parochi vero ea gaudent, dum tamen per Vicarium idoneum beneficio deserviant: Canonici vero non indigent Vicarium substituere, ut possint absesse à sua Ecclesia, & studere in Universitate Salmantina. Sic *Mendo de Jur. Acad. l. 2. q. 23. ex n. 266.* Ubi refert ad litteram Eugenij Constitutionem, quam etiam asserit *Garc. de Benef. p. 3. cap. 2. n. 56.* Et est valde honorifica nostræ Universitati: ibi namque sic ait Pontifex. *Ad Venerabilis itaque Salmanticensis propagationem studij, quod virtuosorum, doctissimorumque virorum multitudinem produxit innumeram, &c.* Et quamvis *Enriq. & alij* teneant, habentes beneficia Parochialia non excusari a residentia, etiam

virtute Eugeniana, quia hæc dicunt derogatam esse à *Trid. sess. 6. de Ref. c. 2. & sess. 23. de Ref. c. 1.* tamen *Mendi. Gonz. in c. 32. de Præbend. n. 4. & alij* tenent, non esse derogatam, & restantur de videlicet illam sæpius prædicari, cujus praxis testis & ego sum.

31. Distributiones quotidianæ, quæ manualia beneficia, seu victualia, seu præsentia nuncupantur. *c. un. h. t. in 6.* sunt portiones Ecclesiasticorum reddituum, quæ distribuuntur his tantum Clericis, qui quotidie intersunt Divinis Officijs. Quo nomine etiam veniunt distributiones pro defunctorum anniversarijs largiendæ. *c. un. h. t. in 6.* Nec sufficit residere in beneficii loco ad eas lucrandas, sed interesse est necessarium; ut sic per Ministrorum præsentiam cultus Divinus augeatur. Nec simoniam incurrit, qui lucro distributionum inductus Choro assisistat, alias non interfuturus, quia ut temporale stipendium pro victu, & labore datur. *Barb. de Jur. Eccles. lib. 3. c. 18. n. 12. & 13.* De his distributionibus fit mentio *c. un. h. t. in 6. c. 32. de Præb. Trid. sess. 21. de Ref. c. 3. & sess. 22. de Ref. c. 3.* Et non veniunt nomine fructuum; imò tamquam species distinctæ habentur. *c. 7. h. t.* Qui aliquid ex distributionibus non legitime perceperit, earum dominium non acquirit, nec facit eas suas: quin ad omnium restitutionem tenetur. *c. un. h. t. in 6.* Et licet canonici distributiones, jam sibi adquirentes liberaliter absentibus donare, obtentas tamen non possunt remittere. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12.* Imò nec hodie licet Canonici remittere absentibus distributiones præteritas, ne detur occasio Clericis absentanti se à Choro cum spe, sibi remissionem esse faciendam à suis Concanonicis amicis. *Barb. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 18. n. 94.* Qui addit *Gloss. in c. un. h. t. in 6. V. Suae,* quæ tenet contrarium, hodie esse revocatam per *Trident.* Nec his distributionibus privatur, qui ob delictum est beneficii fructibus privatus, nec ad eas restituendas tenetur, qui ad fructus restituendos condemnatur, nec pensio beneficio imposita, distributionibus imposita censetur. *Trid. sess. 24. de Ref. c. 12. Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 18. n. 8. Gonz. in c. 7. h. t.* Ille qui ex privilegio, vel consuetudine duo obtinet beneficia in eadem Ecclesia, etiam duplices distributiones quotidianas percipit. *Abb. Felin. Covarr. Barbos. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 18. n. 31.* Sicut habet duplicem vocem in capitulo, qui duplicem præbendam habet. *c. 12. de Sent. & re judic.* Et quod magis est, quod tales distributiones, nec infavorabilibus nomine fructuum

veniunt: ac proinde, qui habet privilegium, vel legitimum causam, ut etiam absens percipiat fructus præbendarum, vel beneficii, non intelligitur, privilegium, nec causam habere ad distributiones percipiendas. *c. 7. h. t.* Nisi forte beneficium consistat in his distributionibus, vel detur speciale privilegium ad eas percipiendas.

42. Ex privilegio Pontificis, & non alterius, aliquando beneficiarij, licet absentes lucrantur distributiones, tamquam Choro interessentes, tales sunt Penitentiarius Cathedralis, qui dum confessiones audit, ut præsentis in Choro habetur. *Trid. sess. 24. de Ref. c. 8. in fin.* & probabiliter alij Clerici ob multitudinem penitentium adjuvantes. Item Lectoralis, & Magistralis pro toto die, quo concionantur, & legunt: quin etiam, & alij dies conceduntur contionatoribus secundum statuta cujusque Ecclesiæ. Et secundum eadem statuta taxatur tempus, quod est indulgendum Doctorali, ut se possit instruere, & præparare ad defensionem suæ Ecclesiæ. Præterea his Canonici, qui Hispanè dicuntur: *De officio, ò de oposicion.* Etiam conceduntur tres menses, sicut cæteris Canonici, ut à residentia absesse possint, & Hispanè dicuntur: *Meses de rede, Marchado tom. 2. lib. 4. p. 4.* Canonicus Episcopo assisistens, dum Pontificalia exercet. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12.* Vel Missam iussu Superioris (secus aliter) tempore horarum celebrans, habetur, ut præsentis. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 53. ex n. 134.* Inquisitores hereticæ pravitate, qui in aliqua Ecclesia præbendam, vel dignitatem obtinent ex privilegio. *Paul. III. & S. Pij V.* percipiunt fructus, & distributiones quotidianas in absentia, tamquam si præsentēs essent. Idem etiam Auditoribus Rotæ consensit *Clemen. VII.* Et Collectori Generali, & Subcollectoribus Advocatis, Procuratoribus, Fiscalibus, & Notarijs in causis spoliatorum, & aliorum jurum Camera Apostolicæ, durante eorum Officio, Sixtus V. consensit. *Barbos. de Jur. Eccles. l. 3. c. 18. ex n. 37. Gonz. in c. 7. h. t. n. 7.* Qui addit, hoc privilegium tenere, etiam à fundatore anniversarij contrarium cautum sit.

33. Possunt etiam distributiones quotidianas lucrari, qui absint. I. causa infirmitatis; siquidem gravis sit, & quæ impediat, ne Clericus ad Divina Officia possit se conferre, etiam si sua culpa in eam infirmitatem incidit, nisi eo fine sit procurata, ut Choro absit. *Barbos. de Offic. Episc. alleg. 53. n. 168. 2.* quando adest iusta causa: ut si quis habeat absolutam impotentiam accedendi ad Chorum, vel timeat quis gra-

ve dñmum vite, honoris, aut fortuna; ut senes, & valetudinarij; vel si grassetur bellum in urbe, vel mors Canonico imminet à capitali inimico infligenda, vel qui injustè fuit impeditus, vel expulsius à Capitulo, injustè incarceratus, bannitus, missus in exilium, excommunicatus, suspensus, & interdicius, & alij hujusmodi; nam hi omnes ab assententia Chori legitime sunt excusati. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 53. ex n. 173.* Ille vero, qui justè est incarceratus, bannitus, missus in exilium, vel excommunicatus distributiones non percipit, *ex c. 53. de Appellat.* Sibi enim debet imputare, quod ob suam contumaciam à Divinis officijs arceatur; nam si paratus sit satisfacere absolvetur: quod si tunc injustè denegaretur absolutio, perciperet distributiones, perinde, ac si esset injustè excommunicatus. *Suar. de Conf. D. 13. sess. 2. n. 16. & 20. 3.* utilitas, non levis, sed gravis; non dubia, sed evidens, propriæ, & etiam universalis; non alienæ Ecclesiæ, est sufficiens causa, ut abens distributiones lucretur. Hac ratione distributiones percipit Vicarius Generalis Capituli, Sede vacante, scilicet Vicarius Episcopi: vel si Canonici mittant ad Concilium Generale, vel Provinciale, tamquam Theologus, vel Canonista, vel Ecclesiæ Procurator: Etiam hanc causam legitimam habere censetur, qui mittitur ad defendenda jura sui beneficii, vel Ecclesiæ: qui visitat Ecclesiam suæ præbendæ: v. g. Archidiaconus suum Archidiaconatum: qui mittitur ab Episcopo, vel Capitulo ad visitanda limina Apostolorum, vel Legatus ad Pontificem, vel Principem, vel obies ab Ecclesia datus, vel repressaliorum causa captus: vel qui residet in beneficio curato annexo Canonicali, hic enim percipit distributiones tamquam si Choro interesset. *Trid. sess. 22. de Ref. cap. 3.* Secus si Parochia non sit unita, ut declaratum refert *Galle. ibid. n. 8.* Et alijs casibus, in quibus judicio prudentium Canonici abens utilitatem peragat Ecclesiæ. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 53. ex n. 171. Garc. de Benefic. p. 3. cap. 2. ex n. 338. & alij.*

34 Fundator Ecclesiæ potest statutum apponere, ut distributiones quotidianas lucretur integras Canonici, etiam si tribus, vel ultra illos, mensibus absit: quod tamen statutum nequit fieri à Capitulo, vel Episcopo, qui Legem superioris, scilicet *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12.* immutare non valet *c. 16. de Major. & obed.* Et licet per *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 12.* sint sublata consuetudines, saltem non

immemoriales, quæ permittentur, absentes à Choro lucrari distributiones quotidianas, tamen hodie suscipiuntur consuetudo, qua conceduntur ex honesta, & rationali causa distributiones absenti. Sic valet consuetudo, ut qui certis horis, licet non omnibus, Choro assitit, integras percipiat distributiones, etiam pro tempore, quod defuit, vel si Canonici obligatus Choro hodie ad aliquas distributiones percipiendas: v. gr. hebdomadarius alium suo loco substituat: quia tunc cultus Divinus non minuitur. *Barb. de Jur. Eccles. L. 3. cap. 18. n. 33.* Quando tales distributiones sunt aliqui redditus deducti ex massa communi beneficiorum, vel ex fundatione, aut voluntate fidelium, ut pro Anniversario defuncti: illæ distributiones, quæ tunc ab absentibus amissa accrescunt interessentibus. *Trid. sess. 21. de Ref. cap. 3.* Et quidem non tantum verè, sed & fictè interessentibus: similiter etiam accrescunt absentibus ex justa causa, qui aliunde proprias distributiones lucrantur juxta praxim Hispaniæ. Seclasa tamen hac praxi, non accrescunt. *Barb. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 18. n. 90. Garc. de Benef. p. 3. cap. 2. n. 465.* Si ex aliquibus Dignitatibus, vel præbendis aliqua portio deducitur pro distributionibus tribuendis habenti illas dignitates, vel præbendas, tunc pars amissa ab absente interessentibus non accrescit, sed applicatur Ecclesiæ fabricæ, vel alij pro loco. *Trid. sess. 22. de Ref. c. 3.* Nunc demum Benedictus XIV. graviter hortatur Episcopos ad debitam relictiam, renovatque Constitutiones antiquas jubetque causas absentiam examini in Congregatione ad id deputata, novaque penas infligit, in Constitutione ad universa. Ann. 1746.

T I T. V.

De Præbendis, & Dignitatibus.

25 **P**ræbenda sic dicitur à præbendo, quia Ministris, & Officialibus Ecclesiæ alimoniam præbet: sicut olim in more erat militibus, & Præsidibus Provinciarum diaria, & annonas præstare, & præbenda dicebantur. In communi tamen modo loquendi sumitur pro Canonicali: *c. 9. de Constit. sed Canonica*, vel *canonicatus est*, quoddam jus spirituale, quod quis habet ex electione, & receptione in Canonici, etenim solum omnes illi, qui

jux-

juxta regulam propriam suæ Ecclesiæ vivebant, *Canonici* dicebantur, quasi *Regulares*; nam *Canon Græcè regulam* latine significat. *c. 1. d. 3.* In præsentem tamen etiam sumitur pro omni beneficio Ecclesiastico inferiore, ut in *c. 32. de Verb. signif.* Majora enim beneficia Dignitates appellantur; & quidem dignitas gradum honoris, & excellentiæ significat. Canonici dari potest sine præbenda, vel beneficio. *c. 9. b. t. c. 9. de Constit.* quia præbenda non est de Canonici substantia. Et talis Canonici habet vocem in Capitulo, stallum in Choro, & distributiones quotidianas. *c. 19. b. t.* nisi fortè aliud consuetudo, vel pactum habeat, & sic receptus, vacante postea præbenda, etiam si supernumerarius sit, potest eam petere implorato Judicis Officio, ut sumitur *ex c. 19. b. t.* quia cum oneribus Canonici substitit decet beneficium, unde alatur habere: quia beneficium datur propter officium. In generali enim acceptione conveniunt Beneficium, Præbenda, Dignitas, & Titulus, ac proinde de eis sub nomine beneficiorum agendum erit. *Beneficium ergo Ecclesiasticum est jus perpetuum percipiendi redditus ex bonis Ecclesiasticis propter aliquod spirituale servitium, auctoritate Ecclesiæ constitutum.* Sic *com. DD.* Olim enim eis, qui in bello aliqua præclare gerebant, quædam prædia in præmiiu concedebantur, quæ dicebantur *beneficia*, quasi *benefacta*, & eorum possessores beneficiarij. Sic in militia celestis beneficia dicuntur prædia Clericis ad sustentationem concessa: Facit Rex noster Alphonsus in proemio, tit. 16. p. 1. *Ca bñm assi, coma del corazon del home resciben todos los otros miembros vidos: assi de Santa Iglesia resciben bñm fecho; è manteniemento todos los que la sirven. È este bien son los Beneficios, è las Dignidades que de ella ban, onle se mantienen los que le sirven.* In beneficio enim itinentur, 1. ipsum officium, seu obligatio ad aliquam functionem spiritualem præstandam: v. g. ad Sacramenta administranda, vel ad concionandum, & Horas Canonicas. Et hoc jus est spirituale. 2. jus percipiendi redditus ex bonis Ecclesiasticis propter officium spirituale; & licet hoc jus temporale sit, dicitur spirituale, quia in radice spirituali fundatur. Et hinc dicitur, quod beneficium datur propter officium. *C. fin. de Rescript. in 6. 3.* ipsi redditus, qui proveniunt ex rebus Ecclesiasticis: qui temporales sunt, & ut tales dist. hi possunt: proveniunt quidem ex bonis Ecclesiasticis, quæ ad particula-

Tom. I.

res Ecclesiæ pertinent, quorum administratores sunt Prælati Sæcularium, vel Regularium Ecclesiarum, debentque tales redditus tribui pro actione officij spiritualis. Cum ergo beneficium sit, quid spirituale, contitui debet auctoritate Ecclesiæ. Hinc si Laicus, vel etiam Clericus particularis fundet anniversarium, vel certas Missas, etiam in perpetuum, & ei stabiles redditus assignet, si non accedat Ordinarij Ecclesiastici licentia, erit legatum, vel donatio ad causas pias; non verò beneficium Ecclesiasticum, nec ejus nomine in jure comprehendetur. Beneficium insuper tribuitur jus perpetuum, quantum beneficiatus vivit, nisi voluntarie renuntiet, vel ob delictum privetur. *C. fin. D. 70.* Et hoc est beneficium strictè tale, sufficit tamen ut beneficium sit perpetuum in se, licet non sit in beneficiario, quatenus ipsi jus perpetuum non tribuat, sed ad nutum Collatoris possit auferri unij, & conferri alteri, ut accidit in beneficiis manualibus, & regularibus. *c. 5. de Rescript. in 6. Less. de Just. & jur. lib. 2. cap. 34. n. 3.* Pensiones, & Vicariæ temporales, nec in se, nec in pensionario sunt perpetuæ: quia per mortem, & per voluntariam ablationem cessant.

36 Inter beneficia etiam commemorantur Commenda, Capellania, Præbendonia, Hospitalia, & Præceptorat. *Commenda* est, qua Ecclesia, vel beneficium alicui in perpetuum committitur, est beneficium, vel illi æquiparatur, potestque talis Commendatarius, non solum fructus percipere, sed illam in favorem tertij resignare, permutare, &c. *Barb. de Jur. Eccles. lib. 3. cap. 9. de n. 22. Gómez. in Reg. 8. Cancel. Glaf. 5. §. 8. ex n. 1.* Secus dicendum est de Commenda temporali, quando scilicet alicui committitur Ecclesia, vel beneficium, quantumdum ejus Rector absit, dum novus eligitur, quia non habet titulum: nec Commendatarius potest eam resignare in alterius favorem, sed si nolit retinere eam debet in manibus superioris simpliciter dimittere. *Capellanat*, quæ est onus celebrandi annuatim, vel hebdomadatim aliquas Missas in certa Ecclesia, vel Altari est duplex: alia est *electiva*, seu *simplex*, alia *collativa*. *Electiva* est, quæ sine Ordinarij auctoritate est erecta, sed sola nominatione, seu vocatione Fundatoris alicui Clerico conceditur. Et hæc licet in perpetuum conferatur non est beneficium Ecclesiasticum; quippe erecta est sine auctoritate Ecclesiastica, quæ sola habet facultatem annexandi jus percipiendi fructus

Fff

tus

tus officio spirituali. *Barbos. de Jur. Eccl. lib. 3. cap. 5. n. 3. Collativa est*, quæ auctoritate Ordinarij est erecta; quæ si in titulum perpetuum conferatur est verè beneficium: si verò revocabilitèr, est improprie beneficium. *Præsimonia*, seu stipendia, quæ ex redditibus Ecclesiasticis solvent Clericis dari, si habent annexum officium spirituale, & in titulum perpetuum dantur, sunt beneficia: si verò tamquam stipendia in sustentationem studentium; v. g. sint deputata, sed sine obligatione spiritualis obsequij, non sunt beneficia. Huc spectant pensiones, quæ aliquibus solent concedi, & quidem pensio sic communiter definitur, est *jus spirituale, aut spirituali annexum instar beneficij, percipiendi certam portionem fructuum mensæ, vel beneficij ob justam causam. Garc. de Benef. p. 1. cap. 5. n. 120.* Et licet pensiones, quæ pro officio temporalis dantur, ut salarium, quod Sacrifex, Æconomus, & alijs Ministris datur, non sunt beneficium, tamen pensiones, quæ Clericis conceduntur, licet de Jure Decretalium, non essent beneficium, hodie instar beneficiorum habentur, cum solis Clericis concedantur, & ad officij minoris recitationem obligent, & pensionarij habitum, & tonsuram Clericalem deesse teneantur. *Garc. de Benef. p. 1. cap. 5. ex n. 37. Gonz. in c. 21. b. t. n. 6. Hospitalia*, quæ alicui Ecclesiæ, vel beneficio sunt accessorie unita, cum naturam principalem sequantur. *c. 42. de Reg. Jur. in 6.* beneficia utique sunt. Idem est, si ex fundatione, vel ordinatione publica sunt conferenda Clericis per electionem confirmandam à Superiore. Si verò, vel solum Laicis, vel indifferenter Clericis, vel Laicis possint conferri, quamvis auctoritate Ecclesiastica sint erecta, per hoc erunt religiosa loca; non verò beneficia, de quorum essentia est, ut tantum Clericis conferantur. *Garc. de Benef. p. 1. cap. 3. n. 1. Gonz. in Reg. 8. Cancel. Glof. 5. §. 4. n. 16. Præceptorja*, seu *Commendæ* Ordinum Militarium, quæ eorum Equitibus assignantur, ut eorum reditus in Ægrotorum curam, peregrinorum receptionem, & residuum in sustentationem, & stipendium pro suo labore impendant, non sunt beneficia proprie talia, quia non dantur ratione officij spiritualis, sed ratione servitij temporalis, scilicet militiæ, vel administrationis hostiorum. Et etiam prima tonsura carentibus conferuntur; appellantur tamen beneficia manualia, quia personis religiosis, & ad finem spiritualem Religionis, & fidei defendendæ, conce-

duntur, & licet uni possint auferri, alteri conferendæ sunt.

37 Beneficia in multiplici sunt differentia: nam 1. alia sunt *duplicia, simplicia* alia. *Duplicia* sunt, quæ aliquam eminentiam, jurisdictionem in foro externo, vel interno, aut administrationem adjunctam habent. Et hæc sunt in triplici differentia: nam alia sunt *majora*, ut Papatu, Cardinalatus, Patriarchatus, Archiepiscopatus, & Episcopatus. Alia sunt *media*, ut reliquæ Dignitates, quæ præminentiam cum fori externi jurisdictione, & administratione habent, ut Decanatus, Archidiaconatus, Abbatia, etiam ad tempus, tam Sæculares, quam Regulares, & solum hæc Dignitates, non vero Superiores veniunt nomine Dignitatum in Reicipris Pontificijs. *Personatus* est honor, & præminentia in Ecclesia, sine jurisdictione: v. g. cum præcedentia in choro, processione, vel suffragio. Et hodie ferè omnes Dignitates, præcipue in nostra Hispania, potius quam Dignitates, sunt personatus, quamvis communiter Dignitates appellantur, *Officium* est quedam administratio rerum Ecclesiasticarum sine eminentia, & jurisdictione, quale habet Primicerius, Sacrifex, Thesaurarius, &c. Licet in pluribus Ecclesijs, ut in nostra Hispania, ut Dignitates reputentur, ac ideo earum consuetudo attendenda erit. Alia denique sunt *infima*, ut beneficia curata, quæ habent annexam curam animarum, ut Parochialia, Vicaria perpetua Parochialium, & alia hujusmodi. Beneficia *simplicia* sunt, quæ nihil habent annexum, ut sunt Canonatus Cathedralium, & Collegatarum Ecclesiarum. Etiam beneficia, quæ integras, vel dimidias portiones habent, item Cappellania, quæ auctoritate Episcopi in perpetuum conferuntur. Et quidem in dubio beneficium præsumitur simplex, nisi probetur habere qualitatem duplicis. *Garc. de Benef. p. 1. cap. 6. n. 8.* Præterea alia sunt beneficia simpliciter *Titularia*, alia sunt *Manualia*. *Titularia* sunt, quæ in titulum perpetuum conferuntur; nec semel legitime collata sine justa causa, in jure expressa, auferri possunt. *Manualia* sunt, quæ conferuntur in titulum, sed revocabilitèr, ita ut si revocentur sine causa, revocatio valeat, licet ad honestatem revocationis aliqua rationabilis causa exigatur. *c. 6. de Statu Monach.* Alia sunt *uniformia*, alia *diformia*. *Uniformia* sunt, quæ idem, & simile munus, & obligationem habent, ut duo Canonatus. *Diformia* sunt, quæ diversa munera, & obligationes ha-

habent, ut beneficium Curatum, & simplex. Alia sunt *Monocularia*, quando scilicet in aliqua Ecclesia unicum beneficium invenitur, vel etiam si plura sint, unum tantum spectat ad provisionem Collatoris, si tamen hæc qualitate careant, non *monocularia* dicuntur.

38 2 Beneficia principaliter dividuntur in *secularia*, & *regularia*. *Secularia* sunt, quæ Clericis Sæcularibus, nullam professis Religionis regulam, solent, & debent conferri: v. gr. Canonatus quorum, etiam jure antiquo; fuerunt incapaces regulares. *c. 9. de Regul. c. 5. de Stat. Monachor. Sanchez. in Dec. lib. 7. cap. 29. n. 72.* In dubio tamen beneficium potius præsumitur Sæculare, quam Regularis. *Saneb. in Dec. lib. 7. cap. 29. num. 11.* nisi probetur regulare. Et quidem tale esse probatur ex institutione, vel privilegio, vel prescriptione legitima. *c. 5. b. t. in 6.* scilicet quadragenaria. *Arg. c. 4. de Prescript. Garc. de Benef. p. 7. cap. 10. n. 35. Sanchez. in Dec. l. 7. cap. 29. n. 17.* Regularia sunt, quæ alicujus Ordinis Religiosis debent conferri, non verò Sæcularibus, sicut nec Sæcularia regularibus. *c. 5. c. 32. b. t. in 6. Clem. c. de Election. nam homines disparis professionis, vel habitus difficile sociantur. Potest tamen beneficium Sæculare dari Regulari, vel e contra, si Pontifex in hoc dispenset, & insuper in rescripto debet fieri expressa mentio. *c. 5. b. t. in 6.* Velsi in illa Ecclesia detur necessitas Rectoris. *c. 5. de Relig. dom. c. 25. in fi. de V. S.* Sic Episcopus Ecclesiam Sæcularem ad statum Regularem transferre potest. *c. 5. de Ecclesi. adific.* Necessitas enim Legem non habet, & potius expedit per Clericos diversa professionis Ecclesiam gubernari, quam omni gubernatione carere. Præterea ad Dignitatem Episcopalem, etiam in Ecclesia Sæculari, possunt promoveri Regulares, etiam Monachi. *c. 28. de Elect. in 6. Clem. c. eod. tit. deis ad Dignitatem in Ecclesia Collegiata; cum in jure restringatur hæc facultas ad Dignitatem Episcopalem. Imò Mendicantes non possunt ad Collegiatam postulari sine licentia Papæ. Extr. un. de Possulat. Pral. inter dom. in Nostra Hispania indifferenter præsentatur à N. Regibus ad Episcopatus, tam Clericis, quam Religiosis, etiam Mendicantes. Favore salutis animarum olim Regulares præferebantur Parochis Sæcularibus, necessitate, aut utilitate, hoc exigente. *c. 31. c. 34. 16. q. 1.* Hodie etiam hæc capacitatem ad Parochias Sæculares, etiam absque**

dispensatione, ipsis concedunt. *Idem. de Just. & jur. lib. 2. cap. 34. n. 6. & alij.* Canonicos Regulares, & non alios Religiosos posse præfici Parochijs Sæcularibus tenent. *Gonz. in Reg. 8. Cancel. Glof. 7. n. 55. & alij.* sed verius est, quod hodie non possunt præfici sine Pontificia dispensatione, ut ex varijs Declarationibus, & Decreto Congreg. Episc. & Regul. *Justin. Clem. X. Editio 17. Mart. 1671. probant Pignat. tom. 1. Consult. 44. ex num. 23. Quarant. Gavant. & alij.* in his Indiarum partibus Regulares præficiuntur Parochijs, ex dispensatione S. Pij V. 3. Mart. 1567. ad preces Philippi II. Hispaniarum Regis, concessa. Sine dispensatione sanè Regulares hodie præficiuntur Parochijs, quæ intra illorum sunt Monasteria. *Trid. sess. 25. de Reg. cap. 11.* ubi derogatum videtur. *c. 1. de Capel. Monach.* Idem est de Parochijs, quæ licet extra Monasteria sint, unitate tamen sunt Monasterijs, quoad temporalia, & spiritualia: quod si solum sunt, quoad temporalia unitate, sunt nominandi à superioribus Regularibus Vicarij perpetui, vel amoviles deputandi ab Episcopo, qui ipsis congruum fructuum portionem assignabit. *Trid. sess. 7. de Ref. cap. 7.*

39 3 Principaliter beneficia dividuntur in *collativa*, seu *libera*, in electiva, & in *patronata*. *Collativa*, seu *libera* sunt, quæ à Prelato, nulla præcedente electione, presentatione, vel nominatione, liberè conferuntur. Et hæc assignatio collatio dicitur, & quia liberè fit, donatio appellatur. *c. 5. de Consec. præbend. c. 4. de Donation.* Et in dubio beneficium præsumitur collativum, potius quam electivum, seu patronatum: cum hæc qualitates electionis, & patronatus sint beneficijs extrinsecæ. Beneficia *electiva* sunt, quæ per suffragia Capitularium obtinentur, accedente superioris confirmatione, ut Episcopatus. *Patronata*, seu *mixta* sunt ea, in quibus ad Patroni presentationem præsentatus institui debet à Prelato Ecclesiastico, cui presentatio fit. 4 Beneficia alia sunt, *patrimonialia*, alia *non patrimonialia*; *patrimonialia* sunt, quæ à majoribus ex proprio patrimonio sunt fundata, ea conditione, ut conferantur descendenti-bus; vel quia Clericis ex certa Patria conferenda sunt, quamdiu tales digni inveniantur, & sic in Nostra Hispania beneficia Ecclesiastica, etiam Episcopatus, non conferuntur, nisi Hispanis: imò, & in aliquibus Dioccesibus solum conferuntur beneficia in illa Diocesi natis. *L. 14. &*

seqq. tit. 23. lib. 1. R. C. Cætera verò beneficia, quæ hæc qualitate carent: non patrimonialia dicuntur, & talia præsumuntur in dubio qualibet beneficia, cum illa qualitas ipsi extrinseca sit.

40 5. Beneficia alia sunt *compatibilia*: alia *incompatibilia*. Illa sunt quæ simul obtineri, & retineri possunt, quia vel nullam, vel non incompensabilem residendam exigunt. Et quidem aliqua beneficia *compatibilia* esse, satis clarè supponitur in c. 7. de Rescript. in 6. *Trid. sess. 7. de Ref. cap. 4.* Si enim utrumque beneficium simplex sit, & neutrum sufficit ad sustentationem, & aliud non requirunt residendam incompensabilem, nec sunt sub eodem tecto, tunc utrumque potest impetrari, & retineri simul, dum tamen sint disformia, hoc est, quod distincta onera, & officia habeant. Et quidem sine speciali dispensatione, cum hæc à jure concedatur. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 17. L. 4. tit. 16. p. 1.* Si verò unum ex beneficiis sufficiens sit, non potest ipsi adjungi aliud beneficium, etiam insufficienti, cum *Trid.* solum unum beneficium permittat, quando illud est sufficiens ad congruam sustentationem. Hinc si habens beneficium fiat Episcopus in partibus infidelium, simul cum Episcopatu retinet primum beneficium, ut eo possit congruè sustentari. Deinde si Episcopus, vel Canonicus fiat Cardinalis, simul cum Cardinalatu retinet Episcopatum, vel præbendam. *Incompatibilia* sunt, quæ simul obtineri, nec retineri possunt, saltem sine Pontificis dispensatione. c. 7. de Rescript. in 6. *Trid. sess. 7. de Ref. cap. 4.* Et quidem, saltem olim, quadam dicebantur *incompatibilia* in primo genere, quæ scilicet sibi invicem in eodem subjecto, ita adversantur, ut secundo obtento ipso jure vacet primum. Hodie tamen ex *Trid. sess. 7. de Ref. cap. 4.* omnia beneficia, etiam simplicia, sunt *incompatibilia* in primo genere. *Barbos. in c. 28. b. t. n. 7. Garc. de Benef. p. 11. cap. 5. ex n. 83. & alij contra Laym. Theol. Moral. L. 4. tr. 2. cap. 8. n. 3. Navar. & alios.*

41 *Incompatibiles* ergo sua natura sunt duo Episcopatus, Abbatia, Vicaria perpetua, vel alia beneficia curata. c. 3. V. Sed, & hoc. 10. q. 3. c. 1. 21. q. 1. quia residendam requirunt, & nullus simul esse potest in duabus Ecclesijs. L. 3. tit. 16.

p. 1. Nisi forte unum beneficium curatum sit in Titulum, alterum in commendam, vel duo sint unita, vel unum sit curatum actu, aliud habitu tantum. L. 4. tit. 16. p. 1. *Gonz. in c. 28. b. t. Barb. de Jur. Eccles. L. 3. cap. 13. n. 172.* Nec duo beneficia regularia possunt ab eodem Religioso, vel Canonico; seu Clerico Regulari, simul obtineri. c. 22. b. t. in 6. Vel in uno, vel in diversis Monasterijs: etiam ejusdem Ordinis. Similiter *incompatibiles* sunt duæ Dignitates, vel personatus. c. 54. de Elect. c. 28. b. t. Extr. *Execrabilis. Joannis XXII. cod.* non solum in eadem, sed, & in diversis Ecclesijs, quia de jure perpetuam exigunt residendam. Similiter in eadem Ecclesia, seu sub eodem tecto, non potest quis duo beneficia simplicia uniformia obtinere, id est, quæ idem onus, & officium habeant. Sic non potest idem obtinere duos Canonicatus. c. 28. b. t. c. 9. de Consec. præbend. *Clem. fin. b. t. nec jure accessionis. Clem. fin. b. t. Imò* per secundi adeptionem vacat primum beneficium: quod statutum est, ne minuat numerus Ministrorum Ecclesiæ, ac proinde cultus Divinus; cum nullus possit bis psallere, nec aliud officium eodem tempore, & loco bis præstare, & quia hoc ex ambitionis, & avaritiæ radice oriri videtur, & dissolutioni causam præbet. Et hæc ratione non valet contraria consuetudo. c. 1. de Consuet. in 6. Hodieque uno verbo dicendum est, quod nullus potest simul obtinere plura beneficia, etiam simplicia, si ex se sufficiant ad congruam sustentationem. c. 5. c. 13. c. 28. b. t. L. 3. tit. 16. p. 1. Quæ quidem prohibitio aliquando à Jure Naturali, aliquando à Jure Divino, aliquando tandem à Jure Positivo oritur. *Trid. sess. 24. de Ref. c. 17.*

42 Prætextu consuetudinis, etiam jurate, vel immemorialis non potest quis nisi unicum personatum, dignitatem, vel aliud perpetuum officium, simul cum Canonica, & prebenda in aliqua Ecclesia, absque dispensatione Sedis Apostolicæ obtinere: vel jam obtenta retinere, & quod contra fit, est omnino irritum. c. 1. de Consuet. in 6. quia corruptela est censenda talis consuetudo, cum ex radice ambitionis, & avaritiæ procedat, & ad Divini cultus diminutionem tendat, & quia unum officium vix dignè valet aliquis adimplere, ut dicitur in c. 3. de Cleric. non resident. Nec ex consuetudine potest quis simul obtinere plura beneficia curata, etiam in diversis Ecclesijs. c. 28. b. t.

Nisi,

Nisi, vel per privilegium Pontificis, vel per consuetudinem immemorialem; postet quis uni ex eis Ecclesijs per Vicarium deterrere, nec esset obligatus ad personalem residendam: tunc enim nulla esset incompatibilitas. Consuetudine tamen potest induci, ut idem in eadem Ecclesia obtineat Canonicatum præbendam simul cum dignitate, vel personatu, vel officio. c. 7. de Rescript. & sic est declaratum à S. Congreg. Garc. de Benef. p. 11. c. 5. n. 245. Similiter ex consuetudine potest quis plura simplicia habere beneficia, etiam si residendam requirant Jure Communi, quia per consuetudinem tolli valet hujusmodi obligatio, cum à Jure Positivo tantum proveniat. *Garc. de Benef. p. 3. cap. 2. n. 197.*

43 Principes Sæculares, licet possint beneficia conferre ex Pontificis privilegio, non tamen extenditur tale privilegium ad dispensandum in pluralitate beneficiorum, ac proinde non possunt uni plura conferre beneficia, nisi hoc specialiter eis concedat Romanus Pontifex. Quippè qui habet plenissimam potestatem dispensandi in beneficijs, ut quis possit, vel duo, vel plura obtinere, sive simplicia, sive curata, disformia, vel uniformia, vel sub diverso, vel sub eodem tecto, vel personatus, vel Dignitates, vel Episcopatus, vel quomodocumque sint. c. 28. b. t. c. 2. eod. in 6. l. 3. tit. 16. p. 1. Tres quidem enumerantur causæ justæ ad dispensandum in pluralitate beneficiorum, ex c. 17. 1. q. 6. 1. est Ecclesiæ necessitas, si scilicet desint Ministri. 2. est utilitas Ecclesiæ, si aliquis magis profuturus credatur Ecclesiæ sua autoritate, prudentia, vel doctrina, etiam absens, quam alius præsens. 3. est meritorum prerogativa, sic dispensatur per Sedem Apostolicam circa personas sublimes, & litteratas. c. 28. b. t. l. 3. tit. 16. p. 1. Circa Cardinales, & filios Regum Extr. *Execrabilis. Joann. XXII. b. t.* Si Papa sine justa causa dispenset, facit illicitè, quia non Dominus, sed administrator beneficiorum est, facit tamen validè, quia taliter provius nullo prorsus jure est inhabilis ad illa, ut tenent *Gonz. in c. 28. b. t. n. 4. Less. de Just. & Jur. lib. 2. c. 34. n. 152. contra Azor p. 2. l. 6. c. 12. q. 7.* Taliter provius, licet peccasset petendo dispensationem, potest beneficia licitè retinere, quia accepit ab eo, qui sciens, ac prudens illa contulit, & legitimè poterat conferre, & solum ea sunt collata contra justitiam distributivam, quæ non obligat ad restitutionem; sic *Sanch. lib. 2. Conf.*

cap. 2. dub. 6. contra *Lesium ubi supr. num. 151.* Dispensatio in pluralitate beneficiorum est odiosa, ac proinde stricte interpretanda est, solumque comprehendit expressè concessa, & ea, quæ necessario cum concessis connectuntur; arg. L. 2. ff. de Jurisd. Hinc, si in provisione alicujus beneficii adjiciatur hæc clausula: *Non obstantè, quod jam aliud beneficium habeat.* Non censetur dispensatum, ut duo beneficia retineantur, sed solum operatur, quod imperatio secundi beneficii nullo modo censetur subreptitia. c. 21. b. t. in 6. Et qui perit dispensationem super beneficiorum pluralitate, debet mentionem facere de beneficio prius obtento, licet modicum sit, alias dispensatio, ut subreptitia erit ipso jure nulla. c. 21. b. t. in 6. Episcopus potest uni duo beneficia simplicia conferre, quando eis indiget provius ad congruam sustentationem; sed si duo non sufficiant, non potest conferre tertium absque dispensatione Apostolica, ut est declaratum apud *Galle. ad Trid. sess. 24. de Ref. cap. 17. n. 3.* Nec potest Episcopus in pluralitate beneficiorum, Jure Communi incompatibilium, dispensare, cum inferior in jure Superioris dispensare non valeat. c. 16. de Major. & Obed. L. 3. tit. 16. p. 1. Nisi in casu magna necessitatis, vel publicæ, & evidents utilitatis, si Pontifex adiri nequeat, & sit periculum in mora. *Gonz. in c. 28. b. t. Greg. Lop. in l. 3. tit. 16. p. 1. Gloss. fin.* In nostra Hispania consuetudine introductum est, ut possit Episcopus uni plura conferre beneficia, etiam si alterum ad congruam sustentationem sit sufficiens. *Gonz. in c. 28. b. t. Garc. de Benef. p. 1. cap. 19. Barbos. de Offic. Episc. alleg. 62.* Capitulum Sedevacante, cum tantum habeat jurisdictionem necessariam, non potest in beneficiorum pluralitate, quæ non est necessaria dispensare, nec Vicarius Generalis sine speciali commissione Episcopi. Legatus tamen à latere in sua Provincia potest dispensare eodem modo, ac Episcopus in sua Diocesi.

44 Ad cognoscendum, quomodo vacent beneficia *incompatibilia*, est necessarium varias circa hoc dispositiones in jure distinguere. Olim etenim ei, qui duo beneficia *incompatibilia* obtinebat, dabatur optio, ut retineret, quod vellet, & alterum dimitteret. c. 7. c. 14. b. t. Postea subblata prædicta optio, ille qui obtento secundo, non dimittebat primum, eo privato per judicis sententiam. c. 3. de Cleric. non resident. Postea in Concilio Lateranensi sub *Innoc. III. in c. 28. b. t.* fuit Ita-

tu-

tutum, quod si habens, vel beneficium curatum, vel personatum, aliud simile recipere, vacet primum ipso jure: quod si contempserit illud retinere, utroque privetur, & ille ad quem beneficij curati collatio spectat, licite confert statim, ac institutus aliud recipit. Et si intra sex menses non conferat, devolvitur ad alium collatio, & illi Ecclesie cuius est beneficium, de suis proventibus tenetur dare tantum, quantum a tempore vacationis ipsius perceptum fuerit. *L. 3. tit. 16. p. 1.* Postea tamen adhuc aliquod denuo fuit statutum in *Extrav. un. Joann. XXII. h. t.* Ubi statuitur, quod ille, qui habuerit Dignitatem, personatum, vel beneficium curatum, si aliud simile receperit, quam prius possessionem habuerit, vel per eum hereditur, quominus habeat, primum, quo est ipso jure privatus, resignare coram Ordinario tenetur, alias utrumque perdit, & inhabilis fit ad Sacros Ordines suscipiendos, & ad quodcumque beneficium habendum. Et denique in *Trid. sess. 7. de Ref. cap. 4.* statuitur, ut is, qui duas dignitates, personatus, aut beneficia curata, simul retinere presumeret, non solum primo, sed & secundo privetur ipso jure: sed est notabile discrimen; nam quamvis secundi titulus sit amissus, possessio tamen retineri potest, donec causa cognita, ejus possessor per sententiam declaretur beneficium secundo privatus. *Less. de Just. l. 2. cap. 34. n. 143.* Quia vacatio secundi est introducta in poenam retentionis indebitae, non ob impossibilitatem utriusque. Primum vero, obtempore secundo, ita amittitur, ut non sit necessaria sententia: nam in *Extrav. expressè dicitur, quod vacet, & possit statim alteri conferri sine ulla sententia*, & non loquitur, sic de secundo, quia ejus privatio non est poena: ac proinde non indiget sententia: sed est resolutio primae collationis. Illis vero, qui tempore Concilij duas Parochias obtinebant, concessum fuit, ut una retenta, alteram intra sex menses dimitterent. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 17.* Ut ergo primum beneficium per secundi incompatibilis ademptionem, ipso jure vacet, requiritur. 1. Quod utrumque sit collatum in perpetuum, sive in titulum, sive in commendam: si vero unum beneficium sit datum in titulum; aliud vero in commendam temporalem; neutrum vacat. *c. 15. de Elect. in 6.* Hinc per Vicariatus Episcopi ademptionem, non vacat Præbenda, vel Dignitas, cum Vicarius ad nutum amoveri possit. 2. requiritur, quod secundum beneficium non tantum sit col-

latum, & acceptatum, sed & pacifice possessum, vel sit penes beneficium, quominus pacifice illud possideat, & licet attento juris rigore, a pacifica possessione secundi beneficij vacet primum, quoad titulum. *c. 28. h. t. in 6.* Tamen de aequitate Canonica non vacat, quoad possessionem, nisi post duos menses a die possessionis acceptæ numerandos, ac proinde solum post duos menses tenetur Clericus beneficium dimittere: quod si secundum litigiosum sit, non vacat primum, vel si in limine possessionis turbatus sit beneficiarius, non solum de jure, sed etiam de facto, vel si incontinenti, scilicet intra annum, vel ut alij melius sentiunt, intra duos menses lis superveniat. *Barb. de Jur. Eccl. lib. 3. cap. 13. n. 173. Gar. de Benef. p. 11. cap. 5. n. 123.* Si vero primum sit litigiosum per pacificam ademptionem secundi vacat primum. *Less. de Just. & Jur. lib. 2. cap. 34. n. 141.*

45. Potest tamen Beneficiarius duo beneficia retinere ex Pontificis dispensatione. Similiter potest obtinere sine aliqua dispensatione beneficium, cui aliud beneficium accessorium est; nam tunc, non duo, sed unum beneficium habere censetur. *c. 6. h. t. in 6.* Quando quis calore iracundiæ impetravit secundum beneficium incompatible cum primo, in quo institutus fuit, si postea poenitentia ductus renuntiet secundo non vacat primum; *arg. c. 21. de Penit. D. 1.* Similiter non vacat primum, si Episcopus primi beneficij nolit habere ratam collationem secundi. Nam clericus nequit sine sui superioris licentia beneficio renuntiare, etiam indirectè, acceptando, scilicet, secundum sine sui Prælati licentia, nec hic tenetur ratam habere renuntiationem. *c. 4. de Renunt. 3.* debet habere Beneficiarius pacificam possessionem, non tantum quoad titulum, seu exercitium officij beneficij secundo annexi, sed etiam fructuum, & bonorum beneficij, aut majoris partis illorum: alias non censetur perfecte beneficium obtinere, ac proinde non vacat primum, quousque Beneficiarius fructus secundi beneficij percipiat. *c. 26. h. t. in 6. Barb. de Jur. Eccl. lib. 3. c. 13. n. 174.*

46. Episcopus, vel Collator intra sex menses computandos, non a die vacationis primi beneficij per pacificam possessionem secundi, sed a die notitiæ vacationis. *c. 5. de Concess. præbend. potest conferre primum beneficium interquisito possessore, illum tamen, cui constulerit, non debet primo possessore non vocato, cum for-*

foran ei jus retinendi possit competere, in possessionem ipsius inducere corporalem. *c. 28. h. t. in 6.* Quæ cognitio, & licet plano, & sine figura, & itreptu judicij debet fieri. *Cl. 2. de Judic.* Circa vacationem beneficium in specie tenendum est, quod per Episcopatum ademptionem (qui non sit Titularis) si Episcopus sit confirmatus, & consecratus, & pacificam administrationem adeptus, omnia beneficia, etiam simplicia, imò & pensiones vacant. Si vero Episcopo conferatur Abbatia, vel aliud beneficium, non vacat Episcopatus, sed est nulla secundi beneficij collatio: siquidem Episcopatus sine Papæ licentia decri nequit. *c. 2. de Translation. Episcop.* Et in materia odiosa Episcopatus nomine generali Dignitatum non comprehenditur. *c. 28. h. t.* Obtempore secundo beneficium habente curam animarum, sive in foro interno, ut beneficium Parochiale, sive in foro externo, ut Archidiaconatus, vel Decanatus Cathedralis, vacat beneficium curatum prius obtentum. *c. 28. h. t. in 6. Cl. 3. eod. Idem est, quando quis consequitur beneficium curatum cum Dignitate personatu, vel officio sine cura: vel duas dignitates, vel personatus, aut officia sine cura; nam per secundi ademptionem ipso jure vacat primo obtentum. *c. 28. h. t.* Per secundi beneficij, etiam simplicis, ademptionem vacat prius obtentum in eadem Ecclesia uniforme. *Trid. sess. 7. de Ref. cap. 4.* Per ademptionem secundi beneficij simplicis, quod ratione residentie est compatibile cum primo, etiam si utrumque sit ad sustentationem sufficiens, non vacat primum ipso jure, licet beneficiatus debeat eo ab Ordinario privati. *Barb. de Offic. Episc. alleg. 62. n. 3.* Imò juxta *Lessium de Just. lib. 2. cap. 34. n. 144. & alios*, per ademptionem secundi beneficij simplicis in compatibilis cum primo, non vacat ipso jure primum; attamen tenendum est, ipso jure vacare; *ex Trid. sess. 7. de Ref. cap. 4.* ubi extendit constitutionem, *c. 28. h. t.* ad quæcumque beneficia incompatibilia. *Barb. in cap. 28. h. t. n. 7. Vignatel. tom. 10. consult. 156. n. 10. Gar. de Benef. p. 11. cap. 5. n. 83.* Per tertij, vel quartij beneficij ademptionem illegitimam, hoc est; factam sine Pontificis dispensatione, vacant ipso jure omnia beneficia prius obtenta; *arg. Cl. 3. h. t.* Etiam talis collatio sine dispensatione facta nulla sit. *c. 3. de Offic. Ord. in 6. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 17.* Si alicui duæ Parochiæ, vel Dignitates simul collate sint, ita ut necesse sit, cujus possessionem prius ad-*

quisierit, cum neutrum sit certò primum, nec secundum; nullum vacat, sed datur obtemperanti beneficiario, ut eligat, quod maluerit. *c. 7. h. t.*

47. Et quia solet accidere, quod ob justas causas, aliquando beneficia unia nuntur; aliquando dividantur, & aliquando dismembrantur, idcirco de unione, divisione, & dismembratione beneficiorum hic agere oportet. Unio ergo est duorum, vel plurium beneficiorum, Dignitatum, personatum, vel etiam Episcopatum annexio ab Episcopo, vel alio legitimo superiore facta. *Sanch. in Decal. lib. 7. cap. 29. n. 145.* Unio est duplex, alia perpetua, alia temporalis. Perpetua est, quæ expressè fit, ut perpetuò duret. *c. 33. h. t.* Vel si fiat ad perpetuam rei memoriam, vel ad beneplacitum Sedis Apostolicæ. *c. 5. de Reser. in 6.* Vel contemplatione Ecclesiæ, quæ nunquam moritur. Et in dubio perpetua presumitur: nam tantum perpetua est propriè unio. Temporalis est, quæ fit ad vitam ejus, in cujus favorem fit, quo mortuo finitur, & hæc potius est dispensatio, ut quis duo beneficia habeat, quam unio beneficiorum. Beneficiorum, vel Ecclesiarum unio tribus modis fit. Primus modus, & quidem utilitissimus est, quando una Ecclesia, vel beneficium alteri tanquam superiori subijcitur, & unitur tanquam accessorium; ac proinde minus dignum digniori uniri debet. Et sic in dubio beneficia præsumuntur unita; *arg. C. 3. de Consecrat. Eccl. l. 4. ff. de Rei vindicatio.* Non tamen debet uniri beneficium dignius minus digno, nisi à Pontifice de plenitudine potestatis. Hæc unio censetur facta, quando in rescripto apponuntur hæc, vel similia verba: *Ecclesiam, vel beneficium S. Petri unimus, annehimus, vel incorporamus Ecclesie S. Mariæ.* Præcipuus hujus unionis effectus est, quod beneficium unitum, quasi extinguatur, & assumit naturam, & qualitates beneficij, cui adheret: v. g. Si Ecclesia principalis est exempta, accessoria fit etiam exempta: si non exempta est, licet accessoria exempta esset, non exempta redditur, si Ecclesia Parochialis Dignitati, vel Canoniciatui sit unita, sufficit præcisè ad eam obtinendam atas ad Dignitatem requisita. Sed tunc debet ad Parochiam Vicarius competens assignari. Si Ecclesia Sæcularis Regulari unitur, vel è contra: Ecclesia unita induit principalis naturam, & in beneficij impetratione solum principalis debet fieri mentio, non vero accessorij.

48. 2. Quando duo beneficia Ecclesiæ uniu-

uniuntur principaliter, quin unum alteri subiciatur, tunc ex duobus unum coalescit, quod utriusque privilegia complectitur, vel si contraria sint, utriusque privilegia retinet favorabiliora. *Garc. de Benefic. p. 12. c. 2. num. 7.* Sed hic modus uniuersi beneficia infrequens est. 3. Si duæ Ecclesie Cathedralis, vel Parochiales aequè principaliter uniantur, ita ut neutra alteri subiciatur, & qualibet suum titulum, privilegia, & qualitates retineat, sub eodem tamen Episcopo, vel Rectore, ut in *c. 1. No Sede vacante.* Et censentur beneficia, vel Ecclesie aequè principaliter unire, quando in scripto dicitur: *Unius Ecclesie S. Petri, & S. Mariae.* Redditi quoque manent distincti, nec unius Canonici sunt Canonici alterius Ecclesie. Quando tamen electio fit, ab omnibus simul fieri debet, si utraque sit patronata, patroni unius sunt patroni alterius, & à majori parte eorum præsentatur beneficiatus ad ipsas Ecclesias, nec una sine altera potest conferri, vel resignari, quod si alia sit incompatibilis cum aliquo beneficio, hoc vacat obrenta utraque Ecclesia unita. Si ad diuersos Episcopos, vel Collatores pertineant, utriusque Episcopi, vel Collatoris consensus ad collationem, vel confirmationem requiritur, & in impetratione debet utriusque fieri mentio. Quando dubitatur, an unio aequè principaliter, vel minus principaliter sit facta, præsumitur unio aequè principalis; nam cum unio sit odiosa, & contra Jus Commune. *c. 3. h. t.* Debet præsumi ea, quæ minus præiudicat Ecclesie, qualis est unio aequè principalis. *Pignatell. t. 1. conf. 223. num. 13.*

49 Beneficia possunt uniri Capitulis Cathedralium, Monasterijs, vel Collegijs. Et quidem *l. plenissimo iure*: ita ut non solum, quoad temporalia, & spiritualia sit Populus subiectus Capitulo, Monasterio, vel Collegio, sed etiam sit exemptus à jurisdictione Episcopi in spiritualibus. Et tunc potest Capitulum, Monasterium, vel Collegium, cum jurisdictione, quasi Episcopali gaudent, independenter ab Episcopo, Presbyteros instituire in Ecclesia unita, & desinere, eos visitare, & ab eis exigere rationem administrationis. *c. 21. de Privileg.* Et hæc unio solum à Papa potest fieri. 2. Ecclesia Parochialis potest uniri Capitulo, vel Monasterio *pleno iure*, hoc est, quoad spiritualia, & temporalia, debet tamen Prælati Ecclesie principalis Vicarium idoneum Episcopo præsentare, ut ab ipso examinetur, & instituat in

Ecclesia unita, & talis Vicarius, siue perpetuus, siue temporalis, siue Clericus, siue Religiosus Ordinis exempti, est subiectus Episcopo, quoad curam animarum, & potest ab eo corrigi, & visitari. *c. 16. de Privileg. Trid. sess. 25. de Reg. c. 1. 3.* Potest fieri unio, quoad temporalia tantum, & tunc Capitulum, vel Monasterium, solum jus in Populum, beneficiarum obtinet, præter jus percipiendi redditus, relictæ congrua portione illi, qui beneficium in spiritualibus administrat. Et in dubio præsumitur unio tantum quoad temporalia facta, quia sic est minus præiudicialis. In beneficijs non plenissime unitis debet poni ab Episcopo Vicarius, & quidem ordinariè perpetuus, nisi aliter Episcopo pro bono Ecclesiarum regimine expedire videatur. *Trid. sess. 7. de Ref. cap. 7.* Sed tenetur Episcopus ponere Vicarium temporalem, quando beneficium est unum Monasterio Monachorum, vel Mendicantium. *Pius V. in Const. Ad exequendum 1567.* & in alijs casibus *Barb. de Offic. Episc. alleg. 172. n. 190. Sanchez in Dec. lib. 7. cap. 22. n. 191.* Romanus Pontifex potest quæcumque beneficia maiora, vel minora unire, etiam Cathedralis, & Metropolitanas Ecclesias. *c. 8. de Excessib. Prælat.* cum in eis plenissimam habeat potestatem. *c. 2. h. t. in 6.* Episcopus potest Ecclesias, & beneficia suæ Diocesis, suæ jurisdictioni subiecta unire perpetuo; non ad tempus, quia tunc potius, quam unio est dispensatio, quæ solum ad Pontificem pertinet. *Trid. sess. 7. de Ref. cap. 4. Et sess. 24. cap. 17. Sanchez in Dec. lib. 7. cap. 29. num. 152.* potest ergo unire Ecclesias, Sacularum, & Regularium, quæ sunt exemptæ, dum unita non sit exempta, sed Episcopi jurisdictioni subiecta. *Cl. 2. de Rebus Eccles. non alien. c. 4. de Donation.* Si beneficia sint Papa reservata, vel ad ipsum devoluta, non potest ea Episcopus unire, donec per mortem, vel vacationem, vel cessionem beneficiarum redeant ad Episcopum. Quod si alicujus vicentis beneficium uniat, solum post mortem, vel cessionem beneficiarum unio fortietur effectum, imò hac unione non obstante, potest beneficiarius illud in favorem tertij resignare. *Garc. de Benefic. p. 12. cap. 2. n. 214.* Si Episcopus uniat beneficium super quo aliquis habet expectantiam, non fortietur effectum, nisi post cessionem, vel privationem, vel obitum expectantis. *Sanchez in Decal. lib. 7. cap. 29. n. 50. Azor. & alij.* Non tamen potest Episcopus unire bene-

ficia Parochialia Monasterijs, Abbatijs, Dignitatibus, vel præbendis alicujus Ecclesie Cathedralis, vel Collegiate, seu alijs beneficijs simplicibus, Hospitalibus, siue Militijs. *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 13.* Imò neque pars fructuum ex Parochijs, potest sine licentia Papæ talibus Ecclesijs applicari, ut colligitur ex *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 16. de Benef. p. 12. cap. 2. n. 57.* Nec potest Episcopus beneficium unire suæ mensæ, vel mensæ Capituli, etiam de Capitali consensu. *Clem. 2. de Reb. Eccles. non alien.* nam sic Episcopus, & Capitulum in proprio facto autoritatem præstarent, nisi aliter habeat consuetudo, vel si unio fiat ipsis præbendis distributive acceptis: vel quando solum indirectè cederet unio in Episcopi, vel Capituli utilitatem. v. gr. si Seminatio Clericorum, vel fabricæ Ecclesie fieret unio: nam in his casibus Episcopus eam facere potest. Nec potest Episcopus beneficia liberæ collationis patronatus unire, ita ut eis subiciantur. *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 9.* nisi patronus juri patronatus renuntiet, licet hæc unio sit necessaria ad congruam dotem alicujus Parochie, vel si inducatur alternativa, ut beneficium una vice conferatur libere, & altera vice ad patroni præsentationem. *Franc. Leo Theaur. For. Eccles. p. 2. cap. 16.*

51 Archiepiscopus in sua Diocesi potest beneficia unire, non verò in suffraganeorum suorum Diocesis. *c. 8. de Excessib. Prælat.* quia in eis non habet jurisdictionem. *Barb. de Jur. Eccl. lib. 3. cap. 16. n. 58. Sanchez in Decal. lib. 7. c. 29. n. 156.* Prælati Episcopo inferiores, si jurisdictionem, quasi Episcopalem habeant in Ecclesia sibi subiecta possunt beneficia unire, secus si non habeat. *Sanchez in Dec. lib. 7. c. 29. ex n. 156.* Legati nati possunt unire beneficia suæ Diocesis. Legati missi, cum non possint conferre beneficia. *c. 1. de Offic. Legat. in 6.* Nec ea unire possunt, cum magis præiudicaretur Episcopo per unionem, quam per unicam collationem. *Sanchez in Dec. lib. 7. cap. 29. n. 158.* Legati à latere, cum in Provincia sibi demandata potestatem concurrentem, etiam quoad collationem cum Episcopo habeant. *c. 1. de Offic. Legat. in 6.* possunt beneficia in perpetuum unire, non verò ad tempus. *Garc. de Benefic. p. 12. cap. 2. n. 65. Barb. de Offic. Episc. alleg. 66. n. 12. Sanchez in Dec. lib. 7. cap. 29. n. 158.* & alij, negant tamen *Joann. Andreas Hoff. & alij.* Vicarius Generalis Episcopi, sine speciali commissione Episcopi, non potest

unire, sicut non potest beneficia conferre. *Sanchez in Dec. lib. 7. cap. 29. n. 153.* Capitulum Sede vacante, licet non possit beneficia conferre, cum hoc voluntatis, & liberalitatis sit, potest tamen beneficia unire, quod necessitas est arg. *c. un. de Major. & obed. in 6.* Et quidem ea ipsa, quæ alioquin Episcopus possit unire, si per unionem juri Episcopali non derogetur, nec Capitulum sibi, vel suæ mensæ talem unionem faciat. *Garc. p. 12. cap. 2. num. 68. Barb. alleg. 66. n. 5.* Beneficium regularitèr solum est uniuersum alij beneficio: potest tamen etiam uniri Hospitalibus, Seminarijs, vel alijs Collegijs pijs, in eorum dotem, augmentationem, vel conservationem pro fidei propagatione, vel juventutis in litteris instructione. Et quidem beneficia uniuersa debent esse simplicia. *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 18.* Non verò curata, ex *Trid. sess. 24. de Ref. cap. 13.* Nisi accedat licentia Pontificis. *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 16.* Beneficium unius Diocesis non est uniuersum cum alterius Diocesis beneficio. *Trid. sess. 14. de Ref. c. 9.* Nec unius Regni cum beneficio alterius Regni, sine eius Regis consensu.

52 Ut ergo beneficiorum unio legitime instituat debet aliqua cognitio circa veritatem causæ præcedere ad unionem, exprimentusque est annuus valor utriusque beneficii secundum communem estimationem, si à Papa, vel ejus Legato, qui beneficii valorem ignorant, fiat unio, secus si unio, sit facienda ad Ordinario. Et vocandi sunt hi, quorum interest; arg. *c. 29. de Reg. jur. in 6. Sanchez in Dec. lib. 7. cap. 29. n. 164.* Ad faciendam unionem beneficiorum ab Episcopo requiritur, quod accedat consensus Capituli Cathedralis Ecclesie. *Cl. fin. de Reb. Eccles. non alien.* qui quidem consensus, non sigillatim præstari debet, sed ab eis simul in unum congregatis. *c. 8. de His, quæ fiunt à Prælat.* Debet insuper accedere consensus Abbatis, seu alterius inferioris Prælati, ad quem administratio, vel collatio alias pertinet: & si beneficium patronatum est, consensus patroni; cum ipsis per talem unionem præiudicium generetur. *Trident. sess. 24. de Ref. cap. 15.* Sed sufficit, si Patroni, vel Prælati inferioris consensus unionem subsequatur. *Sanchez in Decal. lib. 7. cap. 29. n. 165. & seqq.* Quod si hi injustè consentire reculent, poterunt à Pontifice compelli. Vel ipsis invitatis fieri unio ab Episcopo poterit, si necessitas evidens sit. Non verò requiritur consensus Rectoris Ecclesie, vel Defensoris be-

beneficij, dum vacat, nec Domini loci, cum istorum nihil interfit fieri, vel non fieri unionem. Quod si hi unioni se opponant audiendi sunt, & allegationes examinandæ. *Garc. de Benef. p. 12. c. 2. n. 214. Sancb. in Dec. L. 7. cap. 28. n. 163.* Denique, & quidem præcipue, ad unionem iusta causa requiritur, sine qua unio per Ordinarium facta est nulla, imò, & à S. Pontifice facta; non ob defectum causæ, quia ea non indiget Pontifex ad unionis valorem, est tamen nulla ob subreptionem; nam in rescriptis unionum sub intelligitur clausula: *Si cause veræ sunt.* *Garc. p. 12. cap. 2. ex n. 113.* Causæ iustæ ad unionem faciendam sunt evidens necessitas, vel magna Ecclesiæ utilitas. *c. 33. h. t. v. g.* Si præbendæ sint adeo tenues, ut non reperiatur, qui eas acceptet, ac proinde Ecclesiæ careat debito servitio. *Trid. sess. 21. de Ref. cap. 5.* Vel si Ecclesiæ unienda est deserta à Populo propter bellum; vel pestem, vel si ab hostibus est destructa. *c. 2. de Relig. domib.* Vel si non inveniantur alij Clerici magis idonei, qui in Ecclesiâ, præcipue Cathedrali, servire velint: vel si cultus Divinus manifeste augetur. Et hæc de causa possunt beneficia etiam Monasterijs Religiosorum uniri. *Sanehez in Decal. lib. 7. c. 29. n. 161. & alij.*

53. Cum beneficiorum unio sit, quid facti, probari debet ab eo, qui eam factam asserit, vel per litteras unionis, vel his amissis, per testes, vel instrumenta antiqua, in quibus beneficia unita adstruantur; vel ex diuturnitate temporis, vel per confessionem partis, si hæc alijs conjecturis, & adminiculis juvetur, nam licet hæc probatio non sufficiat ad declarandum beneficium unitum, sufficit, ut parti imponatur silentium, ne amplius impugnent unionem. *Garc. p. 12. cap. 2. ex n. 226.* Unio beneficiorum, & Ecclesiæ, semel facta, etiam potest dissolvi, non solum, si necessitas, vel utilitas evidens Ecclesiæ id suadeat, sed etiam si ratio unionis factæ cesset, vel alia causa superveniat, quæ causæ unionis prævaleat, & quidem debet dissolvi ab eo, qui eam potuit facere. *Arg. L. 14. ff. de Re judicat.* Sic solus Pontifex potest Cathedralium unionem dissolvere. *Arg. c. 1. Ne Sede vacante.* Episcopus dissolvit unionem beneficiorum, quæ ipsi subiecta sunt, etiam si talis unio à Papa facta sit, dummodo non sit facta ex plenitudine potestatis, & cum reservatione. Unio ergo dissoluta reddit Ecclesiæ ad pristinum statum, v. g. si erat Regularis, vel Sæcularis, vel sine

Cura animarum, ita manet. *Garc. de Benef. p. 12. cap. 2. n. 309.*

54. Unioni beneficiorum opponitur divisio, seu scissio beneficij, & ideo de divisione aliquid dicere convenit: Tunc enim dividi beneficium dicitur quando scilicet ex uno beneficio, vel Parochia, vel Canonatu duo fiunt, ita ut divisus fructibus duo in posterum beneficiati, Parochi, vel Canonici instituantur. Ad divisionem beneficij faciendam debent vocari, & citari illi, quorum interest, & eorum consensus exquiri debet: quod si irrationabiliter consentire nolint, potest Episcopus ipsis invidis divisionem facere. *Trident. sess. 21. de Ref. cap. 4.* Et insuper requiritur, ut Episcopus intendat eligere duos ad duo jura, seu beneficia de novo creata. *c. 25. h. t.* Et quod divisione facta cuilibet portio assignata ad congruum sustentationem sufficiat; alias Episcopus, id, quod deest redintegrare tenetur. *c. 26. h. t.* sine iusta tamen causa est prohibita beneficiorum divisio in *c. 8. h. t.* Et quidem unica tantum est causa legitima: nimirum, quod divisione seclusa, non possit satisfieri oneribus, & obligationibus beneficij. *Trid. sess. 21. de Ref. cap. 4.* Quando, scilicet, Populus ita numerosus est, ut unus Rector non sufficiat Sacramentis administrandis, & Divino cultui peragendo, non verò est causa legitima, quod his extingatur, nec quod numerus Parochianorum sit magnus: imò, nec quod ex tali divisione cultus Divinus augetur. *Garc. p. 12. cap. 4.* Deinde stante morali necessitate, vel evidenti utilitate Ecclesiæ, potest Episcopus *dismembrare* beneficia: hoc est, beneficij unitate manente, partem bonorum, vel fructuum illius alteri beneficio, vel Ecclesiæ, quæ tenues redditus habeat, applicare. *c. 10. h. t. Garc. de Benef. p. 12. cap. 3. n. 1.* Ad quam dismembrationem faciendam est vocandus Rector beneficij dismembrandi; & requirendus consensus Ecclesiæ, cujus beneficium est dismembrandum, vel si Ecclesiâ, vel beneficium vacet, consensus defensoris illius est petendus. Si beneficium patronatum sit Patroni, si Parochiale Parochiani vocandi sunt, & Capitulum Cathedralis, etiam si ad ipsum non spectet beneficium, consentire debet. Quando dismembratio fit à Pontifice, vel à Delegato Apostolo sufficit, quod detur causa ad eam faciendam, etiam si non adhibeantur cætera solemnitates Juris Positivi, cum eas authoritates Pontificia suppleat. Quod si redditus sint valde tenues, & insufficientes supprimi

potest beneficium ab Episcopo, hoc est, totaliter valet extingui, saltem quando beneficium non est Dignitas. Debet exquiri consensus patroni, & aliorum, quorum interest. *c. 12. de Constitut. Trid. sess. 24. de Ref. cap. 15.* Et cum Concilium dicat: *Licet Episcopis*, inferunt aliqui, nec Capitulum Sede vacante, nec Vicario, nec alijs Prælati inferioribus, etiam quasi Episcopalem jurisdictionem habentibus, id licere.

TIT. VI.

De Clerico Aegrotante, vel debilitato.

55. CUM afflicto non sit addenda afflictio, sed potius ipsius miserie sit miserendum. *c. 2. 7. q. 1. c. 5. h. t.* Hinc Clericus, qui in beneficio Ecclesiastico Canonice institutus, & investitus est, ita ut habeat jus in re in beneficio, si ob senium, infirmitatem, vel mutilationem, vel alia causa, etiam ob culpam suam, est factus inhabilis ad officium sui beneficij exercendum, non est eo privandus, imò ei est dandus Coadjutor, qui ejusdem officium præstet. *c. 3. c. 4. c. 5. c. fin. h. t. L. 18. tit. 16. p. 1.* Ne jus impedimentum, vel Ecclesiæ sit damnosum, vel periculosum animabus, si beneficium est curatum. *Garc. de Benef. p. 4. cap. 5. Barb. L. 3. jur. Eccles. cap. 10. n. 3.* Quod si investitus non sit, non obstant collatione, cum collatio facta inhabili sit irrita, debet à beneficio removeri. Aliquando dantur Coadjutores pro tempore, quo beneficiarius laborat infirmitate, vel alio impedimento, & hi dicuntur Coadjutores temporales, & hæc coadjutoria certe non est beneficium Ecclesiasticum. Aliquando dantur in perpetuum, & cum jure successione, quadam portione ex ipsis beneficij assignata, ita ut etiam cessante infirmitate, vel impedimento, non cesset Coadjutoris officium: Et hæc coadjutoria, cum sit in perpetuum, est beneficium Ecclesiasticum. *Gonz. in C. fin. h. t. n. 4. Garc. & alij.* Quando vero alicui solum conceditur jus succedendi in beneficium alterius, cum vacaverit, & aliunde beneficium nullum habet impedimentum ad serviendum beneficio, quin, & ei servit, quin ab alio adjuvetur, ille non est verè Coadjutor, sed Successor. Si Episcopus confirmatis, etiam nondum consecratis, superveniat aliquod impedimen-

tum, vel aliqua infirmitas, quæ ac incurabilis, & perpetua, ut lepra, paralysis, vel alia; ob quam ad officium inhabiles reddantur, non sunt removendi ab Episcopatu, nec cogendi ipsi renuntiare; sed ipsis, etiam invititis, Coadjutor dandus est. *c. 3. & seq. h. t. c. un. h. t. in 6.* Quia vinculum spiritualis conjugij, quod inter ipsos, & eorum Ecclesiæ intercedit, solus Papa potest solvere. *c. 2. de Transl. Episc.* Idem dicendum est de Parochiis nam eis etiam dandus est Coadjutor, nec enim removendi sunt ab officio. *c. 3. & 5. h. t.* Idem est de alijs, quibuscumque Prælati Sæcularibus, aut Regularibus, quia nullus debet ab officio suo sine culpa removeri. Ab administratione tamen, & exercitio, cum illud exequi nequeant, omnes prædicti removendi erunt. *c. 4. h. t. Suar. de Cons. D. 51. sess. 2. n. fin. Barb. in c. 3. h. t. n. 2. & 3.*

56. Si infirmitas sit temporalis, ut febris tertiana, vel alius morbus naturaliter curabilis, tenetur Parochus temporalem Coadjutorem, donec morbus cessaverit, ab Episcopo approbatum pro animarum cura, constituere. *Trid. sess. 23. de Ref. cap. 1.* Non tamen tenetur admittere Coadjutorem ab alio constitutum. Canonici, qui non tenentur per substitutum deservire, non tenentur Coadjutorem designare, si nequeant personaliter Choro assistere. *C. un. de Cler. non resid. in 6.* Qui ex beneficio simplicis, nulla administratione, jurisdictione, officio, vel cura animarum prædico, solum ad certum numerum Milliarum singulis hebdomadæ est obligatus, licet Vicarium temporalem, si morbus sit diuturnus, constituere teneatur, non tenetur Coadjutorem admittere, utpote, quo non indiget. Coadjutor perpetuus, id est, qui habet jus succedendi in beneficio per mortem, vel resignationem vacaturo, solum à Pontifice dari potest. *Trid. sess. 25. de Ref. cap. 7.* Quia est promissio, & provisio beneficij nondum vacantis, quæ irrita est, si ab alio, quam à Pontifice fiat. *c. 2. de Consec. præbend.* Qui utpote in beneficijs plenissima gaudens potestare, beneficium potest Coadjutorem, cum jure successione dare. *c. 17. 7. q. 1. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 21.* Et quidem si Episcopo sit constituendus Coadjutor perpetuus cum jure succedendi debet prius causa in Consistorio diligenter examinari, & regulariter debent concurrere in Coadjutore, illas qualitates, quæ in Episcopis à jure requiruntur. Et hoc tantum fit, quando vel necessitas